

Singidonensis provinciae Pannoniae, imperavit menses
 2 octo. Eius patri, cum liberos crebros amitteret, prae-
 ceptum somnio est, eum, qui iam instante uxoris
 3 partu edendus foret, diceret Iovianum. Hic fuit in-
 4 signis corpore, laetus ingenio, litterarum studiosus. Hic 5
 a Perside hieme aspera mediaque Constantinopolim
 accelerans, cruditate stomachi, tectorio novi operis gra-
 vatus repente interiit, annos gerens proxime quadraginta.
 45 Valentinianus imperavit annos duodecim minus
 2 diebus centum. Huius pater Gratianus, mediocri stirpe 10
 ortus apud Cibalas, Funarius appellatus est, eo quod
 venaliciū funem portanti quinque milites nequirent
 3 extorquere. Eo merito ascitus in militiam usque ad
 praefecturae praetorianae potentiam conscendit; ob
 cuius apud milites commendationem Valentiniano im- 15
 4 perium resistenti oggeritur. Hic Valentem consanguini-
 neum suum sibi socium in imperio ascivit ac demum
 Gratianum filium necdum plene puberem hortatu so-
 5 crus et uxoris Augustum creavit. Hic Valentinianus
 fuit vultu decens, sollers ingenio, animo gravis, ser- 20
 mone cultissimus, quamquam esset ad loquendum par-
 cus, severus, vehemens, infectus vitiis maximeque ava-
 ritiae; cuius cupitor ipse fuit acer, et in his, quae
 6 memoraturus sum, Hadriano proximus: pingere venu-
 stissime, meminisse, nova arma meditari, fingere cera 25
 seu limo simulacra, prudenter uti locis, temporibus,
 sermone; atque, ut breviter concludam, si ei foedis
 hominibus, quis sese quasi fidissimis prudentissimisque
 dederat, carere aut probatis eruditisque monitoribus
 uti licuisset, perfectus haud dubie princeps enituisset. 30